

חוספות

I.

**D**Uæ istæ abbreviaturæ רמב"ם & רמב"ן / *Rambam & Ramban*, quævis quoad descriptionem & pronunciationem ferme sibi similes videantur, minime tamen sunt confundendæ. Prior enim significat *R. Mosen Ben Maimon*, posterior vero *R. Mosen Bar Nachman*, quæ quidem simul uno tempore vixerunt, infensissimi tamen hostes fuerunt, ita ut ferme inter eos, eorumque discipulos, tale plus quam Vatinianum odium intercesserit, quæle fuit inter *R. Hillel*, & *R. Schammai*, eorundemque Scholas, בית הלל & בית שמאי dictas; quippe quarum perpetuum dissidium omnes ferme Talmudis paginæ probant. Conf. insuper *Hacksplan, ad Nizzach, p. 288, Leusden. Pirke Abhoth, p. 11. Buxtorf, L. T. p. 301, Reineccius Diss. de Traditione Eliana, Sect. II. §. 5.*

II.

Haud inelegans observatio est, quæ de titulis librorum Rabbinicorum tradit, *Kimchius ille Germanus, M. Rud. Mart. Meelführer*, (quod enim Hebræis est *Kimchi קמחי* / id Germanis *Meelführer* / alludente eodem modo ad hoc nomen *D. Joh. Tob. Majo, in pras. ad Dissert. laudati Dni. Meelführeri de ברכת כהנים s. benedictione Sacerdotali*, Hebræice conscriptam, eaque etiam in lingua sub illius præsidio defensam, & habitam, *Giesl. 1797*) in *Diss. de meritis Hebræorum in rem litterariam Witsch. 1699*, §. 1, ita scribens: *Inscriptiones tituliqve librorum Hebræicorum argumenta nobis non produnt, sed meras Chimæras, ac interdum portentosa promittunt, paucissima, vel nulla præstant.* Quo de asserto, si quis dubitare velit, ipsos tantummodo evolvat libros, vel compendii loco *Bibliothecam Rabbinicam Buxtorfi*, & veritas asserti hujus comparebit. Titulus enim scripti, omnium primo sub littera נ adducti, statim vitio hocce deplorato laborat. Ita enim habet titulus: *אב ואב Pater & Mater*. Quis quæso! unquam divinare potuisset, librum hunc esse Grammaticalem, compositum a *R. Juda Ben Karisch*, &c. Idem quoque imprimis in libris subsequentiibus adinvenies. Nec contemnendum est monitum, quod communicat *Thom. Bangius in Cælo Orientis p. 4*, Solent, inquit, *Judæi, homines ad fingendum nati, libris suis hederam illustrium & Patriarchalium nominum suspendere, ut ex eis decus ac robur vanis scriptis accedat, licet in eis nonnunquam plus vappa, quam vini propinetur. Hac titulorum figmenta male feriata suos produnt Authores, cujus sint ingenii ac indolis, &c.* Et hoc probat exemplo *ספר יצירה, Libri Creationis, Abrahamo ab illis assignati*, (quo de libro vide *Buxtorf, Bibl. Rabb. p. 73. Vossius in Maimon. de Idolol., p. 9. Placcium de Pseudonym. p. 134. Histoire des Histoires du Sieur de la Popeliniere Liv. 8. p. 446*) Melius forte hoc ipsum declarant libri, inscripti *עין משה Oculi Mosis, עין יעקב Oculus Jacobi, עולת יצחק Holocaustum Isaac, עיר דוד Urbs Davidis, &c.*

III.

Judæos quoque Historiæ Litterariæ cultores esse, evincit inter alia Liber, dictus: *Siphte Jeschenim*, (editus, *Amstelod. 1680. 4.* cujus versionem latinam promisit *Christ. Wormius*, Celebrerrimus ille Hafniensium Philologus) & *R. David Ganz* in suo *Zemach David*.



Coll. dist. A. 46, misc. 45